



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCLXII. Ioannis Papae VIII. Ad Attonivm. Excommunicat eum, nisi ecclesiae Mediolanensi bona quae abstulerat restituat, & ad obedientiam sui archiepiscopi cum sociis redeat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

studueris, quoniam ferro necesse est ut abscindantur vulnera, quæ vt illis manum adhibueris, fomentorum non senserint medicinam.

## EPISTOLA CCLXII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ATTONIVM.

Excommunicat eum, nisi ecclesiæ Mediolanensi bona  
quæ abstulerat restituat, & ad obedientiam  
sui archiepiscopi cum sociis redeat.

*Attonio excommunicato.*

**M**ISSA præfusatui nostro ab Anspero sanctæ Mediolanensis ecclesiæ archiepiscopo relatione, atque suggestione didicimus, te multa per horrendæ temeritatis impudentiam, siue audaciam egisse illicita, & in contemptum beati Ambrosii, atque ipsius antistititis contrariatem, in locis, & rebus ei pertinentibus mala, & quæcumque poteras enormiter vna cum filiis tuis commisissæ aduersa. A quorum scilicet perpetratione assidua, te quasi ouem gregis dominici, multis iam vicibus arguendo, obsecrando, & increpando conuenire, atque remouere curauit, ne antiqui hostis callida persuasione semel deceptum in profundum mortis barathrum lapsum iacere omittaret. Sed quia te sanctæ admonitionis verbis salubribus humili prorsus deuotione non obedire, neque aurem cordis (velut aspidem surdam) inclinare, vel acquiescere nolle aspiciens, post tot correptiones vna cum venerabilium coepiscoporum coetu a sacrosancti corporis & sanguinis Domini secundum institutionis paternæ censuram, communione separauit; & ab ecclesiæ Dei societate merito remouit. Et adhuc in eadem sorde iniquitatis foetidum & vulneratum te dolet iacere, cordeque impoenitenti nolle ad te percutiētem reuerti aspiciens, clamat, vt per salutis medicamenta animi tui valeat vulnera male inficta sanare. Vnde & nos pastorali sollicitudine, atque confratris nostri archiepiscopi hoc præsenti dilectione commotia auctoritatis nostræ statuto iubemus, vt tanta peruersitate, & cordis duritia iam

procubiecta, quoniam haetenus Dei timore postposito, multos tuæ iniquitatis lepra coinquinasti, & tantorum malorum auctor esse non dubitasti, præcipimus te cum omni celeritate reuerti ad veram præfati pontificis tui satisfactionem cum filiis, & tuis omnibus complicibus: quorum inceptor adhuc malorum post tantas correctiones esse non timuisti, & eius salubribus monitis subditus, & subiectus existas. Omnibus tamen ecclesiæ deprædationibus in integrum restitutis, & secundum ipsius ecclesiæ priuilegium emendatis, atque solutis: quod si post huius nostræ præceptionis relectam epistolam in tua iniqua obstinatione perdurans, vt dictum est, ad præfatum pontificem tuum redire satisfaciendo contempseris, ex auctoritate Dei Patris, & Filii, ac Spiritus sancti virtute, beatorumque apostolorum Petri ac Pauli, & omnium sanctorum patrum, nostraque apostolica sanctiōne secundum iam dicti dilecti confratris nostri archiepiscopi, & episcoporum sententiam iam olim in te prolatam, iubemus te cum filiis & complicibus tuis omni ecclesiastica esse communione priuatum, & a coetu, atque societate omnium Christianissimorum, vtpote tantorum malorum perpetratores inconuertibiles, seclusos & damnatos existere; quoisque omnia, quæ perperam gessistis, emendando, canoniceque satisfaciendo, veniam condignam percipere mereamini. Data xv. Kalendas Martii, indictione xiv.

## EPISTOLA CCLXIII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD LVDOVICVM ET CARLOMANNVM  
REGES.

Rogat vt cum Carolo imperatore consentiant de reuocanda & Romam mittenda Angelberga: vbi eam ita se custoditurum pollicetur, vt contra ipsos moliri nihil possit.

*Ludouico & Carломanno regibus, & Hugoni abbatи.*

**N**OSSE volumus vestram dilectionem, quia spiritalem filium nostrum Carolum serenissimum imperatorem Romæ nobiscum degentem rogauimus, vt spiritalem fi-

*Concil. Tom. 24.*

*Qq ij*